paratos uideri Trebatius respondit. Pro quo in codicibus recentioribus mendose baces, a, litera disspuncta legitur. Accursius non ratione aliqua, sed ueri similitudine ductus, capsulas esse interpretatur baces. Quod cum sit nihili uerbum, interpretamentum quoque erit inane. Philippus Beroaldus quodam in loco suarum commẽtationum, bases legit uocem uulgi sequutus. Sed de hoc lege uerbum, Corinthia uasa.

ABACTORES ab oratoribus & historicis appellantur, quos Iurisconsulti uocant abigeos. Ductum utrunque nomen à uerbo abigo is, quod inter alios sensus significat etiam à grege siue armento pecudem furto subducere: hinc abactores & abigei dicti huiusmodi fures. Quod genus hominum in Hispania maxime inuenitur, dicente Virgil. in 3. Georg. Aut impacatos à tergo horrebis Iberos. Quod Seruius interpretatur, abactores. & subdit: nam omnes ferè Hispani qui ijdem sunt & Iberi, acerrimi abactores sunt. Apuleius 7. de asino aureo: Abactorem indubitatum cruentumq; percussorem criminantes. Ambrosius in sermone de hostibus carnalibus non metuendis: Armenta diripiet, istud damnum abactorem tolerando iam didicit. Sed quemadmodum diximus, à Iurisconsultis potius abigei dicũtur, de quibus tit. est lib. 47. dig. In cuius prima lege Vlpi. his uerbis scribit: Qui pecora ex pascuis uel armentis abigunt, hi proprie dicuntur abigei. Quod si quis oues aberrantes aut alias quadrupedes abduxerit, non erit reus crimine abigeatus, sed potius furti. Est enim abigeatus ipsum abigei crimen, quod in Hispania grauius quàm alibi gentium debere puniri

© 2011 Real Academia de Jurisprudencia y Legislación